



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs

**Vindalium, 1646**

Cap. V. De iuramento, & adiuratione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38850**

¶

## CAPVT V.

*De iuramento, & adiuratione.*

## CONCLUSIO I.

**I**Nter externos Religionis actus, numeratur etiam iuramentum, quod ex se licitum est & honestum, modo quædam conditiones obseruentur.) De hoc argumēto tractat S. Thomas 2. 2. quæst. 89. per decem articulos, quorum, docet, iurare nihil aliud esse quàm, testem Deum inuocare. Quod probat, quia ex Apostolo Hebr. 6. iuramentum ad confirmationem ordinatur, sed particularia facta hominum non possunt per rationem necessaria confirmari, & ideo quæ de his dicuntur, solent confirmari per testes. Verùm quia humanum testimonium ad hoc non sufficit, tum propter defectum veritatis humanæ, tum propter defectum cogitationis, hinc necessarium fuit recurrere ad testimonium Dei, qui nec mentiri potest, neque aliquid ignorare. Assumere autem Deum in testem dicitur iurare, quia quasi pro iure introductum est, vt quod

sub inuocatione diuini testimonij dicitur, pro vero habeatur.

Statim verò tradit diuisionem iuramenti, vt nimirum dicatur iuramentum assertorium, quando diuinum testimonium assumitur, ad asserendum præsentia, vel præterita: promissorium verò quando inducitur diuinum testimoniũ, ad confirmandum aliquid futurum. In responsione verò ad aonet duplicem esse iurandi modum vnum per simplicem Dei contestationem, vt cum aliquis dicit, est mihi Deus testis, vel coram Deo loquor, vel per Deum; aliũ per execrationem dum scilicet aliquis se, vel aliquid ad se pertinens ad pœnã obligat, nisi sit verum quod dicitur.

Articulo 2. docet 1. iuramentum secundum se esse licitum & honestum, quod patet, tum ex illius origine, quia est introductum ex fide; qua homines credũt, Deum habere infallibilem veritatem & vniuersalem omnium cognitionem & prouisionem: tum ex fine, quia iuramentum inducitur ad iustificandum homines, & ad finiendum controuersias. Docet 2. iuramentum per accidens esse malum & illicitum, quando scilicet sine necessitate & cautela debita adhibetur; quia est quædam ir-

reuerentia erga Deum, quod ex leuicausa in testem inducatur, qua etiam in re est periculum periurii.

In responsione autem ad 1. notat illud Matth. 5. Non iurare omninò, intelligi de iuramēto leuiter & sine causa facto. Et in responsione ad 3. monet, eum qui iurat, non tentare Deum, quia non implorat diuinum auxiliū absque necessitate: & præterea non exponere se alicui periculo, si Deus testimonium adhibere noluerit in præsentī, adhibebit enim pro certo illud testimonium in futuro quod proinde nulli iuranti deficiet, vel pro eo, vel contra eum.

Articulo 3. docet, in iuramento tres conditiones debere reperiri, nempe iudicium, veritatem, & iustitiam. Quod probat, quia iuramentum non est bonū, nisi ei qui vititur iuramento: ad bonum autem vsum iuramenti duo requiruntur. 1. vt quis non leniter, sed ex causa graui & necessaria iuret, adeoque ex iudicio discretionis. 2. vt quod iuramento confirmatur, sit verum, ad quod requiritur veritas: & licitum, ad quod necessaria est iustitia. Vnde iuramentū incautum caret iudicio, iuramentum mendax, veritate, & iuramentum iniquum seu illicitum, iustitia. Monet au-

nem in responsione ad 3. prædictas condiciones magis requiri ad iuramentum, quam ad alios actus humanos: quia in iuramento magnum est periculum, tum propter magnitudinem Dei, cuius testimonium inuocatur: tum etiam propter labilitatem linguæ humanæ, cuius verba iuramento confirmantur.

Nota 1. ex art 4. iurare esse actum religionis seu latriæ, quia ille qui iurat, inuocat testimonium diuinum ad confirmandum ea quæ dicit. Nihil autem confirmatur, nisi per aliquid quod certius est & potius, & ideo in hoc ipso quod homo per Deum iurat, proficitur Deum potientem, ut pote cuius veritas est indefectibilis, & cognitio vniuersalis: & sic Deo aliquo modo reuerentiã exhibet, quod pertinet ad religionem siue latriam.

Nota 2. ex artic. 5. iuramentum non esse de rebus per se appetendis, sed de necessariis: quia id quod non queritur, nisi ad subueniendum infirmitati, vel defectui, non numeratur inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt necessaria: sicut patet de medicina, quæ queritur ad subueniendum infirmitati. Iuramentum autem queritur ad subueniendum alicui defectui, quo

scilicet vnus homo alteri discredit. Et ideo iuramentum non est de per se appetendis, sed de necessariis, quibus indebitè vtitur, quisquis iis vtitur vltra terminos necessitatis. Quare in responsione ad 3. ait, quòd sicut medicina quanto est efficacior, tanto maius nocumentum inducit, si non debite sumatur: ita iuramentum quanto magis est venerandum, tanto magis est periculosum, nisi debite inducatur.

Nota 3. ex art. 6. esse duplicem modum iurandi per creaturas, Prior modus est per simplicem contestationem, quatenus assumuntur ad iuramentum aliqua creatura, non secundum se, sed in quantum in eis veritas diuina manifestatur. Sicut iuramus per Euangelium, id est, per Deum, cuius veritas in Euangelio manifestatur; & per sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & obseruauerunt. Posterior modus est per execrationem, quando scilicet in iuramento inducitur creatura aliqua in qua diuinum iudicium exerceatur. Et sic solet homo iurare per caput suum, aut per filium suum. Monet autem in respons. ad 1. non licetè iurare per creaturas, ita vt eis exhibeatur reuerentia diuina, adeoque Clericum per creaturam iurantem

DE IUSTITIA. CAP.V. 237  
deponi; quia tale iuramentum ad blasphemiam infidelitatis pertinet.

CONCLUSIO II. Iuramentum tam assertorium, quam promissorium habet vim obligandi.) Probatum ex art. 7. sicut enim iuramentum assertorium, quod est de præterito, vel de præsentibus, debet habere veritatem; ita & iuramentum de his, quæ sunt faciendæ à nobis in futurum. Et ideo utrumque habet quandam obligationem, diversimodè tamen; nam in priori obligatio est, non respectu rei quæ iam fuit, vel est, sed respectu ipsius actus iurandi, ut scilicet iuret id, quod iam verum est, vel fuit: sed in iuramento quod præstatum de his, quæ sunt faciendæ à nobis, obligatio cadit e contra supra rem, quam aliquis iuramento firmavit tenetur enim aliquis facere si potest, ut verum sit quod iuravit, alioquin deest veritas iuramento. Quod intellige, modo licet res fieri possit, nam si est per se mala, aut boni impeditiva, tunc iuramento deest iustitia, adeoque servandum non est.

Quæres, qua ratione iuramentum obliget: Respondeo 1. iuramentum assertorium obligare sub mortali ad dicendum verum in quacunque materia

quia non potest Deus sine graui iniuria, in testem falsitatis adduci: vnde per se loquendo, reus est periurii mortalis, qui iurat se fecisse, quod non fecit; aut habere propositum aliquid faciendi, quod non habet.

Respondeo 2. eum qui iuramento promisit se aliquid facturum, peccare mortaliter, si in re graui non curet iuramentum implere, vt omnes communiter admittunt. Maior difficultas est, num paruitas materiae excuset à peccato mortali, falsitatem iuramenti promissorii. Qua in certum existimo, non esse peccatum mortale, partem aliquam exiguam materiae iuramenti promissorii non implere; vt si quis, postquam iurauit se darum triginta asses pauperi, non det illi nisi viginti nouem; ille enim simpliciter seruat iuramentum adeoque dici non potest, quòd Deum falsi testem faciat.

Sed quid, si tota materia iuramenti negligatur? Poteritne paruitas materiae excusare à peccato mortali? Non pauci negant, quia grauis deordinatio est quòd quis Deum falsi testem constituat, hoc enim repugnat fini iuramenti, qui est, fidem facere interposito diuino testimonio. Hoc autem facit, quicumque



DE IVSTITIA. CAP. V. 239

non exequitur iuramentum promissorium, cum diuinum testimonium assumpserit, ad confirmandam promissionem, quam exequi non vult. Verùm hæc ratio non conuincit, quia sincerè promittens, non mentitur, licèt postea promissionem non impleat; sed infideliter agit, vt ait S. Thomas 2. 2. quæst. 110. artic. 3. ad 5, quare etsi talis promissio iuramento confirmetur; non propterea adducitur Deus in testem mendacii: ac proinde ex eo capite non fit Deo grauis iniuria, si promissio iurata de re graui non impleatur. Aliundè verò iniuria quæ Deo tunc irrogatur, in eo consistit, quòd contemnatur illius auctoritas, quæ interposita fuerat veluti per modum fideiussionis, vt promissioni firmitatem conferret. Talis autem contemptus cum non sit formalis, vt supponimus, facilè potest in re leui, à peccato mortali excusari. Præsertim cum iuramentum promissorium ex dicendis, minus obliget quàm votum: cuius tamen violatio in re leui, non est peccatum mortale, ex communi sententia.

CONCLUSIO III. Iuramentum quod quis coactus facit, coram Deo obligat. ) S. Thomas articulo citato in respons. ad. 3. multa dicit huc

spectantia. 1. obligationem cessare respectu cogentis, quia qui vim intulit, meretur ut ei promissum non seruetur. 2. obligationem non tolli in foro conscientiae, in ordine ad Deum, quia iurans magis debet damnum temporale sustinere, quam iuramentum violare. 3. cum tamen repetere posse in iudicio quod soluit, vel praelato denunciare, quamuis contrariam iurauerit: quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum, eo quod esset contra iustitiam publicam. 4. Romanos Pontifices ab huiusmodi iuramentis homines absoluerent, non quasi decernentes ea non esse obligatoria; sed quasi huiusmodi obligationes ex iusta causa relaxantes.

Ex qua doctrina resoluitur casus ille vulgaris, an qui ut mortem euaderet, promisit latroni centum nummos, teneatur solvere, si promissionis adhibuit iuramentum. Respondetur enim spectata vi ipsius promissionis, non teneri, quia cum haec extorta sit per iniuriam, iure ipso naturae irrita censetur. Teneri tamen virtute iuramenti, quia gravis est obligatio, non assumendi nomen Dei in vanum, quae non tollitur per iniuriam illatam; cum ea non obstante iuramentum honeste & sine peccato impleri possit,

DE IVSTITIA. CAP. V. 241

possit, vt suppono. Quare promittens tenetur aut summam promissam solvere, aut dispensationem à iuramento impetrare.

Monet autem S. Doctor, soluentem posse repetere pecuniam in iudicio, quod intellige, nisi iurauerit se non repetiturum. Quod si hoc iuravit, poterit nihilominus latronem accusare de crimine, etsi actionem civilem pro restitutione pecuniæ, contra eum instituere non possit. Excipe, nisi etiam iuramento promiserit, se eum non accusaturum, nam si tale iuramentum intercessit, debet ex virtute Religionis, fidem datam seruare, ob paritatem rationis. Poterit tamen crimen iudici denuntiare, etsi iurauerit se non denunriaturum, si eiusmodi denuntiatio necessaria viderur, ad auertendum malum publicum, vt obseruat. S. Thomas.

Hinc etiam lucem accipit difficultas illa, an iuramentum redeundi ad carcerem obliget, etiam cum probabili periculo mortis, siue iustæ, siue iniustæ. Dicendum enim est, tale iuramentum per se loquendo obligare, quia ex communi sententia, iuramentum impleri debet, quando id fieri potest sine periculo animæ. id est, sine peccato: at non

de Iust.

L

est peccatum, quòd quis in dicto casu ad carcerem redeat, quin potius quòd se exponat periculo mortis, vt iuramentum seruet, hoc est opus religionis, & eximie fortitudinis. Ista tamen intelligenda puto de eo, qui iurat reditum in carcerem, præuiso periculo quod ei ex tali reditu imminebit: si enim hac de re nihil cogitans iuret, verisimile est eum non habere intentionem iurandi pro tali casu, adeoque non obligari.

CONCLUSIO IV. Ex S. Thoma iuramentum interdum obligat, quando non est eadem intentio iurantis, & eius cui iuratur. ) Nam si hoc proueniat ex dolo iurantis, debet iuramentum seruari, secundum sanum intellectum eius cui iuramentum præstatur. Si autem iurans dolum non adhibeat, secundum ipsius intentionem, iuramentum impleri debet. Ita habetur in responsione ad 4.

Verum etsi posterior hæc pars communiter admittatur, prior tamen difficultatem continet, quia non est iuramentum, vel obligatio inde orta, nisi adsit intentio iurandi: qui autem priori modo iurat, habet intentionem iurandi secundum propriam mentem, non secundum mentem alterius. Quare non

videtur obligatus ex vi ipsius iuramenti, ad exequendam promissionem iuxta sensum ab eo intellectum: etsi ad hoc possit teneri ratione damni, aut scandali inde orti.

Quæres, an maior sit obligatio voti, quàm iuramenti. S. Doctor, artic. 8. respondet affirmatiuè, quod probat, quia vtraque oblatio causatur ex aliquo diuino, prior quidem ex fidelitate quam Deo debemus, vt scilicet ei promissum soluamus; postetior verò ex reuerentia erga Deum, qua tenemur verificare id, quod per nomen eius promittimus. Omnis autem infidelitas irreuerentiam continet, sed non conuertitur: videtur enim infidelitas subiecti ad dominum esse maxima irreuerentia, & ideò votum ex ratione sua, magis est obligatorium, quàm iuramentum.

Nota 1. doctrinam istam procedere tantum de iuramento promissorio, nam si agatur de assertorio, dicendum est, maiorem esse per se loquendo, illius obligationem, quàm voti: siquidem quãdo falsum iuramus, facimus Deum, quantum in nobis est, testem mendacii, adeoque eum priuamus prærogatiua primæ veritatis quando verò violamus votum, denegamus Deo quendam ho-

norem quem ei debemus ; at maior est obligatio non inferendi Deo damnum aliquod veluti positium , quàm non negandi illi debitum honorem ; sicut maior est obligatio, non inferendi Regi iniuriam positiuam, quàm non implendi promissionem ei factam.

Nota prædictam conclusionem S. Thomæ intellectam vt diximus, de iuramento promissorio, non eneruari ex eo quòd votum interdum confirmetur iuramento, hoc enim non fit, quasi verò iuramentum ex se, sit firmitus voto, sed vt per duas res immobiles ; maior firmitas habeatur, vt traditur in responsione ad 2.

CONCLUSIO V. Aliqua ex causa rationabili dispensatio fieri potest in iuramento. ) Quia vt docetur articulo 3. quod in se, vel vniuersaliter consideratum est vtile, & honestum, secundum aliquem euentum particularem potest esse inhonestum, & nociuum ; quod autem tale est, repugnat his quæ debent attendi in iuramento: nam si sit inhonestum, repugnat iustitiæ, si sit nociuum, repugnat iudicio. Et ideo in iuramento dispensari potest, sicut in lege, & in voto.

Nota ex responsione ad 1. dispensa-

DE IUSTITIA. CAP. V. 245  
tionem quæ fit in iuramento, non se ex-  
tendere ad hoc vt aliquid contra iura-  
mentum fiat; hoc enim est impossibile,  
cùm obseruatio iuramenti cadat sub  
præcepto diuino, quod est indispen-  
sabile: sed ad hoc, vt quod cadebat sub  
iuramento sub eo non cadat, quasi non  
existens debita materia illius, sicut de  
voto supra dictum est.

Quæres, quinam possint dispensare  
in iuramento. S. Thomas ad hoc varia  
dicit in responsionibus ad 2. & 3. Nam  
priori loco ait 1. quando homo pro-  
mittit alteri aliquid sub iuramento  
spectans ad vtilitatem illius, vt si pro-  
mittat se pecuniam ei daturum, posse  
à tali promissione absoluere cum cui  
promissio facta est. 2. non tamen posse,  
si ei promittat aliquid pertinens ad  
honorem Dei, vt se Religionem intra-  
turum, vel ad vtilitatem aliorum, vt se  
eleemosynam alicui daturum: quia pro-  
missio non est ei facta principaliter: sed  
Deo.

Posteriori verò loco docet 1. quando  
quod cadit sub iuramento promissorio,  
est manifestè repugnans iustitiæ; vel  
quia est peccatum, sicut cum aliquis  
iurat se facturum homicidium: vel  
quia est maioris boni impeditiuum sicut:

cum aliquis iurat se non intraturum Religionem, tale iuramentum dispensatione non indigere: sed in primo casu rescindendum esse, in secundo verò seruari, & non seruari posse, quamuis melius sit illud non seruare, ut dixerat art. 7. ad 2.

Docet 2. quando aliquid sub iuramento promittitur, de quo dubium est, utrum sit licitum, vel illicitum; proficuum, vel nocivum, aut simpliciter, aut in aliquo casu, in hoc posse quemlibet Episcopum dispensare. Quòd intellige de quolibet Episcopo, respectu suorum subditorum.

Docet 3. quando sub iuramento promittitur aliquid, quod est manifestè licitum & utile, tunc nisi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum, non habere locum, dispensationem, vel commutationem: hocque maximè videri pertinere ad potestatem Papæ, qui habet curam universalis Ecclesiæ. Verùm hæc verba difficultatem continent, cum ex communi sententia non modo Episcopus, sed etiã ipsemet iurans possit propria auctoritate, iuramentum commutare in aliquid euidenter melius, modo talis commutatio non cedat in præiudicium illius, cui



DE IVSTITIA. CAP. V. 247  
facta est promissio. Quare dicendum  
est aut S. Doctorem loqui de iuramen-  
tis Papæ reservatis, aut tantum velle,  
ex quadam congruitate & decentia,  
commutationem iuramentorum in me-  
lius, à summo Pontifice petendam esse.  
Quòd si inquiras, quænam iuramenta  
Pontifici sint reservata. Respondeo ea  
quæ versantur circa materiam quinque  
votorum, quæ superius ipsi reservata  
esse diximus.

Docet 4. posse vnumquëque irritare  
iuramentum, quod à sibi subditis factum  
est, circa ea quæ eius potestati subdun-  
tur; sicut pater potest irritare iuramen-  
tum puellæ, & vir vxoris, vt ex supra-  
dictis de voto intelligi potest; est enim  
quoad hoc par ratio.

His duo addenda sunt. 1. ex quorum-  
adm sententia, qui ex priuilegio potest  
dispensare in votis, non posse hoc ipso  
dispensare in iuramentis, aut votis iura-  
tis; quia priuilegia tantum valent, quã-  
tum sonant; neque ad diuersum genus  
extendi debent. Aliis tamen oppositum  
videri probabilius, quia vt supra di-  
ximus, votum magis obligat, quàm iu-  
rumentum, & priuilegia salutis animarum  
favorabilia sunt extendenda. 2. eum qui  
potest relaxare iuramenta, posse, à for-

tiori ea cōmutare, non econtra; quia et si cui conceditur maius, cōcedi soleat minus saltem in eodem genere; non tamē vice versa.

CONCLUSIO VI. Non omnes personæ ad iurandū sunt admittendæ.) Hoc probatur art. 10. quia in iuramento duo sunt consideranda, vnum ex parte Dei, cuius testimonium indacitur; & quantū ad hoc debetur iuramento maxima reuerētia. Vnde à iuramento excluduntur pueri, ante annos pubertatis, quia non habent sufficientē vsum rationis, vt possint cum reuerētia debita iuramentum præstare. Et periuri, quia præsumitur eos iuramento reuerentiam debitā non exhibituros. Aliud considerandum est ex parte hominis, cuius dictam iuramento confirmatur, non enim indiget dictum hominis cōfirmatione, nisi quia de eo dubitatur: hoc autem derogat dignitati personæ, vt dubitetur de veritate eorū quæ dicit: & ideò Sacerdotes non debent iurare, nisi ex graui causa. Verūm ad pleniorē horum intelligentiam.

Nota 1. illud esse discrimen inter causas criminales, & ciuiles, quod pueri non solent admitti ad testificandum in prioribus ante vigesimū annum: vt au-

DE IVSTITIA. CAP. V. 249

rem in posterioribus testentur, sufficit ætas quatuordecim annorum. Quod tamen intellige de testimonio sufficienti ad plenam fidem faciendam; si quidem possunt examinari pueri ante pubertatē, eorumque testimonium facit præsumptionem, etiam sufficientem ad torturam, ut quidam aduertunt.

Nota 2. quod dicitur de periuris, intelligi maximè de iis, qui periurii in iudicio conuicti sunt; tales enim ad iuramentū admitti non debent. Imò probabile est, id debere extendi etiam ad eos, qui etsi cōuicti non sint in iudicio, eorum periurium notū est notoreitate facti. Ita quidem ut licet ipsi non teneantur, propter periurium antea commissum, vltro à nouo iuramento abstinere, dummodo habeant animum verè iurandi; merito tamen ob crimen illud, per sententiam iudicis, à testimonio ferendo tanquam infames repelli possint. Hoc porrò intellige de iuramēto, quod ipsi iuranti vtile est, nam si agatur de iuramento oneroso, quale est iuramentū fidelitatis, ratione feudi, non debet periurus ab eo repelli, ne commodum ex suo crimine reportet.

Nota 2. quando adest grauis necessitas, vel utilitas, posse clericos iurare in

L 5

manu laici, sine licentia Prælati, nisi 1. in actu testificandi 2. in iuramento quod coguntur præstare. Iudici laico, tanquã superiori; & 3. in iuramento quod vocatur calumniæ, quod habet locũ quando litigans iurat se bona fide, non autẽ calumniandi animo litem mouere. In his enim casibus, vt clerici iurent corã laico, requiritur licentia superioris.

CONCLUSIO VII. Assumptio diuini nominis per modum adiurationis, est etiam actus Religionis, adeo- que licitus modo cum debitis circumstantiis fiat.) De hoc agit S. Doctor 2. 2. quæst. 90. per tres articulos, quorum 1. docet, adiurationem esse illicitam, quando aliquis per inuocationem diuini nominis, cuiuscunque rei sacræ, alicui non subdito, necessitatem agendi adiurãdo imponere intendit, quia usurpat potestatem in alium, quam non habet: Superiores tamen ex causa necessaria, posse suos inferiores hoc modo cõstringere. Esse verò licitam, quãdo quis intendit solummodo, per reuerentiam diuini nominis, vel alicuius rei sacræ, aliquid ab alio obtinere, absque necessitatis impositione.

Nota ex responsione ad 3. nos aliter homines, aliter Deũ adiurare, nam adiurando hominem, eius voluntatem, per

DE IVSTITIA . CAP. V. 251

reuerentiam rei sacræ immutare intendimus; quod quidem non intendimus circa Deum, cuius voluntas est immutabilis: sed vt ex eius bonitate, æternæ voluntatis effectum obtineamus.

Articulo 2. docet 1. non licere nobis adiurare dæmones, per modum deprecationis: quia hoc videtur spectare ad quandam benevolentiam, qua non licet erga dæmones vti. Docet 2. licitum esse, dæmones adiurare per modum compulsionis, eos per virtutem diuini nominis expellendo, ne nobis spiritualiter; vel corporaliter noceant. Docet 3. non licere eos adiurare, ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum: quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum ipsis habendam: nisi fortè ex speciali instinctu, vel reuelatione diuina, quidam sancti ad aliquos effectus, dæmonum operatione vtantur: sicut legitur de beato Iacobo, quòd per dæmones fecit Hermogenem ad se adduci.

Articulo 3. docet, adiurationem qua quis vtitur ad creaturam irrationalem, posse intelligi dupliciter: vno modo, vt adiuratio referatur ad ipsam irrationalem creaturam secundum se, & sic vanum esse, irrationalem creaturam ad-

iurare: alio modo, vt refertur ad eum, à quo irrationalis creatura agitur & mouetur; & sic dupliciter adiurari creaturam irrationalem. 1. per modum deprecationis ed Deum directæ, quod pertinet ad eos qui diuina inuocatione miracula faciunt. 2. per modum compulsionis, quæ refertur ad diabolum, qui in nocumentum nostrum vtitur irrationalibus creaturis. Et hunc esse modum adiurandi in Ecclesiæ Exorcismis, per quos dæmnum potestas excluditur ab irrationalibus creaturis.

Circa doctrinam horū articulorum, Nota 1. adiurationem aliud nihil esse quàm actionem, per quam aliqua persona inducitur obsecrando, vel imperando, ad aliquid faciendum, vel omit-tendū inuocatione alicuius rei sacræ. Ex quo patet 1. non nisi creaturam rationalem posse adiurare, adiurari verò tantum posse personam intellectualem, quales sunt Deus, Angeli siue boni, siue mali, & homines tam beati, quàm viatores. 2. adiurationem quæ vel expres-sè, vel tacitè fit per Deum, esse actum religionis. quia honor Deo exhibetur, eo ipso quòd illius autoritas interponitur, vt multum valens apud homines.

Quæ verò fit per sanctos, in eorum dignitate & meritis sistendo, esse actum dulciæ. 3. actum illum esse specialem, & distingui à iuramento: quia in hoc Deus adducitur vt testis veritatis, aut veluti fideiussor promissionis nostræ: in adiuratione verò vt mouens ad concedendum, quod nomine illius petitur. Distingui etiam ab oratione, quia per orationem petimus aliquid à Deo, per adiurationem verò, vt sic, petimus aliquid propter Deum. Vnde oratio cum adiuratione coniungitur, quando aliquid petimus à Deo, & propter Deum. 4. duplicem esse adiurationem, aliam deprecatiuam, aliam imperatiuam, prioremque esse licitam erga Deum, Angelos, & homines: posteriorem autem contra dæmones, qui per potestatem à Christo Ecclesiæ concessam, Exorcismis expelli solent.

Nota 2. in adiuratione, sicut & in iuramento requiri cum proportione veritatem, iustitiam, & iudicium. Veritas in ea reperitur, quando adiuratio fit per verum Deum, cum animo obtinendi quod petitur. & ex vera occasione petendi: at iustitia habet locum, quando petitur aliquid licitum & honestum. Iudicium autem in eo consistit, vt nihil

petatur leuiter & sine causa, sed ob gra-  
uem necessitatem, & cum reuerentia de-  
bita, vnde collige pro praxi, eum qui  
aliquem nomine Dei adiurat, vt rem  
mortaliter illicitam faciat, duplex  
mortale peccatum in confessione de-  
clarandum, committere; aliud ad pec-  
catum inducendo, aliud nomen Dei ad  
hoc interponendo.

Nota 3. quædam obseruanda esse cir-  
ca adiurationem dæmonum, qui homi-  
num corpora obsident. 1. vt adiuratio  
publica & sollemnis non assumatur nisi  
ab iis, qui ad ordinem Exorcistarum  
promoti sunt: quamuis priuatim possit  
quilibet adiurare dæmonem, vt in no-  
mine Domini recedat. 2. vt Exorcistæ  
liceat dæmonem interrogare, non qui-  
dem deprecatiuè sed coactiuè, tum quæ  
ad expulsionem conducunt, vt nomen,  
causam ingressus, numerum obsiden-  
tium. &c tum quod prudenter iudicat,  
ad gloriam Dei, & adiutorum utilita-  
tem spectare. Quare vana & inutilia ex  
curiositate interrogantes, peccant ve-  
nialiter, & si id fiat deprecatiuè, aut  
longos sermones cum dæmone miscen-  
do, mortaliter. 3. vt etiam licitum sit,  
dæmonem in infernum, aut in deser-  
tum, ne ampliùs hominibus noceat, a-



DE IVSTITIA. CAP. V. 255

mandare saltem sub spe ratificationis  
 diuinæ, & ab eo petere signum, quo re-  
 statur se è corpore exire; nam etsi dæ-  
 mon sit pater mendacij, virtute Exor-  
 cismorum adigi potest, vt verum dicat.  
 4. vt liceat quoque dæmoniacum ala-  
 pis, flagellis, fumigationibus, &c. mo-  
 deratè vexare, non ita vt hæc putentur  
 habere vim aliquam naturalem ad abi-  
 gendos dæmones, sed ex dæmonis con-  
 temptu, vt sic confundatur, & domici-  
 lium in quo se sperni videt, quam pri-  
 mum deferat, Possunt tamen medicinæ  
 quædam applicari, ad expellendos è  
 corpore prauos humores, quibus dæmon  
 vitur ad vexandum hominem, cum vel  
 pulsu cytharæ, Saül à dæmone posses-  
 sus non parum recreatus fuerit. 5. non  
 esse licitum præcipere dæmoni sub pœ-  
 na excommunicationis, nisi vt hæc su-  
 mitur pro execratione, & maledictione;  
 quomodo accipitur in Sacerdotali Ro-  
 mano, quando monetur Exorcista, vt  
 dicto modo præcipiat.